

Beiheft

2

S 99

[1152—68.]

[8

Friedrich, Bischof von Münster, bekundet, daß Bernard von Dülmen von dem Barlarer Propste das regimen der Villa Coesfeld erhalten hat.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Fridericus, Dei gratia Monasteriensium humilis episcopus, notum facio praesentibus atque futuris, qualiter Bernardus Dulmanensis a praeposito fratribusque Varlariensis ecclesiae regimen villae Cosveldiensis ad vitam suam tantum consilio nostro suscepit. Ipse sane multis coram astantibus promisit nihil gravaminis occasione potestatis indultae ecclesiae umquam inferre, nihil ibidem denique de mancipiis ipsius contra voluntatem praepositi iudicare vel disponere. Quod si aliter agere convictus fuerit, secundo tertiove commonitus si non emendaverit, accepta potestate carebit. Praeconcepta filii eius in manu nostra fidei confirmaverunt sponcione, nequaquam post patris obitum praefatam ecclesiam quasi pro haereditario beneficio vexare, nisi forte servicii sui respectu ex beneplacito fratris (ob fratrum?) successionem obtineant. Quae dispensatio ut imposterum rata permaneat, praesentem inde scedulam conscribi sigilloque meo muniri curavi. Huius rei testes sunt Engelbertus vicedominus, Godeschalcus, Godefridus canonici, Bernardus eiusdem ecclesiae advocatus; Goswinus de Gemene, Gerlacus de Dingethe, Bruno de Scoten, Stephanus de Wi[s]che, Conradus de Ludinghusen, Arnoldus de Billerbecke et alii quam plures.

Barlarer Kopiar. S. 38.

99